

HENRICI DUCIS SAXONIÆ,

posteaquam Georgij fratris defuncti ditio-
nem occupasset. Anno Chri-
sti 1539.



GEORGIVS Saxoniae Dux liberis se destitutum videns, Henricum fratrem ejusque filios Mauritium & Augustum testamento facit haeredes, ea lege, ne formam religionis mutant; nisi pareant, Caesari & Ferdinando Regi ditionem omnem attribuit, donec aut ille vel filij, vel ex ea familia proximus agnatus conditionem impleant. Hoc suum testamentum ita confectum, nobilitati prius & populo communicat senex jam & valetudine minus firmâ, petitque ut ratum habeant, & data fide jurent ab eo sese non discessuros. Illi verò, quod metuerent, ne bellum ea res inter agnatos excitaret, orant, ut patiatur ad Henricum fratrem mitti legationem, sperare enim illum assensurum, nec quicquam in religione immutaturum. Verùm immutare Principis animum nullis nec argumentis, nec precibus missi legati poterant, antequam etiam domum rediissent, jam è vita discesserat Georgius. Henricus frater cum copiis ilicò Dresdam, & ad reliqua profectus oppida suam in fidem populum adigit. Hoc autem eò proclivius erat, quod foedere nitebatur Smalcaldico. Saxoniae quoque Elector, cum de testamento Georgij, ceterisque consiliis illius non nesciret, ubi de ejus morte in itinere cognovit, domum è vestigio properat, ut si opus esset, Henrico subveniret. *Sleida-*

nus. Author.

